

quæsitum jus & actio tertio, & aliis successivè nominatis, & quoad omnes censetur irrevocabilis: quia possessio, causa, vel qualitas, per quam efficitur revocabilis, requiritur tantum in primo filio vel descendente meliorato, & non in alio; ergo amplius revocari non possit; argumento textus singularis in leg. *Pater filium*. §. *Quind. cim liberis*. ff. de Legat. 3. ubi habetur, quod res prohibita alienari, nisi aliquo casu permittatur alienari, & veniat casus in quo jam semel sit alienata; perpetuo remanet libera & alienabilis: & ibi notat Bartol. & communiter DD. Facit etiam textus singularis & unicus in leg. *final. Cod. de Remiss. pignor.* secundum Bald. Salyc. & communiter DD. ubi habetur, quod si res obligata vel hypotheca à debitore semel aliquo casu alienetur, creditore consentiente, perpetuo eximitur ab obligatione, & hypotheca, aded quod, licet postea revertatur ad personam debitores, amplius non reincident in primam generalem obligationem, etiam bonorum futurorum: facit etiam textus in leg. *Videamus*. ff. *Quod metus causa*, textus etiam in leg. *Tutor rerum*. ff. de administr. tutor.

34 Item etiam & secundò ex prædictis infero, quod si quis faciat & constituat majoratum in persona certa & determinata, & post mortem ejus vocavit & substituit alias successivè, & primæ tradidit possessionem ejus, vel scripturam, vel fiat ex causa onerosa juxta formam & dispositionem text. in l. 44. infra his II. Taur. quod si semel fuerit tradita possessio vel scriptura primæ personæ nominatæ, vel concurrat causa onerosa, non potest amplius majoratus revocari, etiam quoad alias personas nominatas vel substitutas, sed perpetuo remanet firmus, validus, & irrevocabilis.

Item etiam & tertio ex prædictis infero, quod licet jura regalia, quæ pertinent Principi in signum supremæ jurisdictionis, non possint præscribi, nisi tempore immemoriali; tamen si semel sunt præscripta ab aliquo magnate, vel domino temporali, perpetuo efficiuntur præscriptibilia tempore ordinario, decem, vel viginti, vel triginta annorum, sicut quælibet alia res privata, vel jurisdictio.

Item etiam & quarto ex prædictis infero, quod si aliqua res patrimonii semel est alienata in hoc Regno per descendentes possessores, & non fuit

(r) Qua probatur posse in tertio & quinto fieri meliorationem; quod ex illa lege expendit Castill. ibi verb. *Para siempre*. Palac. Rub. numer. 7. Tell. num. 2. Gom. Arias, num. 59. Gregor. in leg. 2. tit. 15. part. 2. glossa 1. fin. Menchac. de Succession. creation. §. 26. numer. 95. & 96. Covarrub. lib. 5. Variar. capit. 5. numer. 4. Molin. lib. 1. capit. 1. numer. 25. Matienz. in dict. leg. 11. tit. 6. lib. 5. glossa 11. numer. 1. ubi differentias inter hujusmodi majoratus sine licentia Principis & cum ejus licentia constitutos refert.

per proximiorum consanguineum retracta pro eodem pretio secundum leges hujus regni, non poterit amplius per aliquem retrahi jure sanguinis, sed perpetuo remanet libera & alienabilis.

35 Quintus modus, per quem impeditur alienatio & translatio domini, est quando expressè prohibetur per legem: textus est in leg. *Non dubium*. versic. *Nullum*. Codic. de Legib. cujus verba sunt: *Nullum enim pactum, nullam conventionem, nullum contractum inter eos videri volumus subsequutum, qui contrahunt lege prohibente*. Textus in leg. 1. & per totum. ff. de Fund. dotal. textus in leg. *Quædam*. ff. de Acquirend. rerum dom. textus in leg. 1. & per totum. ff. de Rebus eorum. textus in leg. 1. & per totum. Cod. de Præd. minor. textus in leg. *Lex qua tutores*. Cod. de administr. tutor. textus in leg. *Alienationis*. ff. *Famil. ercisc.* textus in leg. *Post contractum*, in fin. ff. de Donat. text. in l. 2. & fin. Cod. de Litigiosis. textus in leg. *Commis. ff. de Publican. & vectig.* textus in leg. *fin. Cod. ad legem Jul. majest.* text. in leg. *Qui contra*, Cod. de Incest. nupt. textus in leg. *Ex judiciorum*. ff. de Accusat. textus in leg. *Quæsitum*. ff. *Qui & à quibus*. textus in leg. 3. §. *Sciendum*. ff. de Donat. inter vir. & uxor. textus in §. 1. *Institut. quibus alien. licet vel non*, textus in cap. *Cum secundum leges, de Hæred. lib. 6.*

36 Sextus modus, per quem potest impedi alienatio & translatio domini, est in melioratione tertii: nam si pater & mater melioret filium in tertio bonorum suorum in ultima voluntate, vel per contractum inter vivos, potest in eo apponere quodlibet gravamen vel vinculum restitutionis, vel submissionis, atque ita majoratum facere sine licentia Principis, juxta formam, & dispositionem leg. 27. supra legibus Taur. que est hodie lex 11. tit. 6. lib. 5. Recopilat. (r) de quo magistraliter dixi in materia quam possui in leg. 17. supra. eodem.

37 Septimus modus, per quem impeditur alienatio & translatio domini, est per ultimam voluntatem & dispositionem testatoris: nam si testator instituit hæredem in tota hæreditate, vel in aliqua parte, vel legat alicui aliquam rem, potest prohibere alienationem ejus, & talis prohibitio valet & tenet. Quod tamen intelligo & declaro isto modo: nam si prohibitio est simpliciter facta sine causa, vel nulla demonstrata

persona in cujus favorem fiat; ut si testator dicat, *Gravo hæredem vel legatarium ne alienet*; talis prohibitio non valet, sed hæres vel legatarius liberè & justè poterit rem alienare; quia illud est quoddam nudum præceptum testatoris, & resolvitur in consilium, quod non obligat recipientem, sed tantum monet eum, ut in leg. 2. §. *final. ff. Mandat.* textus est capitalis & expressus in leg. *Filiusfamilias*. §. *Divi*. ff. de Legat. 1. & ad hoc notat & commendat Glossa ordinaria, Bartol. Alberic. Paul. Alexand. Jas. & communiter DD. textus in leg. *Cum pater*. §. *Mando*. ff. de Legat. 1. text. in leg. *Pater filium*. §. *Julianus*. Agrippa. ff. de Legat. 3. textus in leg. *Lucius*, eod. tit. textus in leg. *Titio centum*. ff. de Condition. & demonstration. & utrobique communiter DD. Confirmatur, quia in qualibet dispositione semper requiritur causa pro ejus validitate: text. est in leg. *Cum hi*. §. *Vult igitur*, versic. *In causa*. ff. de Transaction. textus in leg. *Si procuratorem*. versic. 1. ff. *Mandat.* text. in leg. *Si pariter*. ff. de Liberal. causa. textus in leg. 2. §. *Circa*. ff. de Doli except. textus in leg. *Properandum*. §. *Illo proculdubio*. Cod. de Judic. textus in leg. *Cum indebito*. §. *final. ff. de Probation.* (s)

38 Si verò prohibitio est facta cum legitima causa; ut quia testator prohibuit rem alienari, quia fuit majorum suorum, vel habuit eam ab Imperatore, vel Principe, vel erat fortalium vel turris fortissima, quæ erat protectio & defensio cognationis suæ, vel quia hæres vel legatarius, cui relinquebatur, erat minor; vel fuit facta prohibitio favore alicujus certæ personæ, ut quia prohibuit rem alienari, quia voluit rem pervenire alicui de genere, vel alteri personæ, vel ex alia simili & justa causa; tunc talis prohibitio valet & tenet, & non poterit alienari (t) textus est in dict. leg. *Filiusfamilias*. §. *Divi*. ff. de Legat. 1. ibi: *Nisi inveniat persona cujus respectu hoc à testatore dispositum est*, &c. text. in leg. *Cum pater*. §. *Libertis*, de Legat. 2. text. in leg. *Titia Sejo*. §. *Seja libertis*. eod. tit. textus in leg. *Codicillis*. §. *Instituto*. eod. tit. text. in leg.

*Voluptas*. Codic. de Fideicommiss. & idem disponit lex notabilis *Partit. 44. tit. 5. 5. Partit.* imò, licet causa prohibitionis non exprimat, tacitè videtur inesse ex qualitate; ut si fuit res Majorum, vel turris fortissima, (u) & ita probat Glossa singularis & unica in leg. *Quoties*. la 1. Cod. de Fideicommiss. in Gloss. 1. quam ad hoc notat & commendat ibi Bartol. Salycet & non est alibi, secundum Corneum. 2. column. & alios Modernos, ibi: *Et ratio vera fundamentalis, per quam in prædictis casibus per ultimam voluntatem potest impedi alienatio, est: quia sicut per ultimam voluntatem transfertur ipso jure dominium, tam in hæreditate universali, additione secuta, quam in legato vel fideicommissio sine aliquo actu traditionis vel apprehensionis, ut in leg. *Cum hæredes*. ff. de Acquirend. possess. & in leg. *Facta*, & in leg. *Restituta*. ff. ad Trebell. & in leg. *Titio*. ff. de Furto. & in leg. *Cum pater*. §. *Surdo*. ff. de Legat. 2. & in leg. *Si tibi homo*. §. *Cum servis*, de Legat. 1. Ita eodem modo per ipsam ultimam voluntatem potest alienatio & dominium impedi, & de uno in alium transferri: ita probat textus in leg. *final. Codic. de Legat.* ubi testator potest relinquere legatum vel fideicommissum usque ad certum tempus uni, & post illud tempus alteri: textus in *Authent. cui relicto*, versic. *final. Codic. de Judic. ut tol.* & in expresso istam rationem ponit Petr. de Bellaper. in leg. *Ea leg. Codic. de Condict. ob. causam*. 1. column. in fin. & ibi Cyn. 2. column. in fin. & communiter DD. ibi Albert. in leg. *Si ita quis*. §. *Ea lege*. ff. de Verbor. obligation. 2. column. propè fin. & ibi DD. Innoc. in cap. *Raynald. extra, de Testam. penult. column.* Confirmatur ex illa Gloss. singul. in leg. 1. in gloss. magna in fin. Cod. de Inoffi. donat. ubi ponit notabilem doctrinam, quod in casibus in quibus ipso jure ex aliqua dispositione transfertur dominium sine traditione, in eisdem casibus, resoluta illa dispositione, impeditur dominium, & transfertur in disponentem, vel alium: quam ad hoc summè notat & commendat ibi Bald. in fin. verbis, & communiter DD.*

Quod

(s) Sed in Hispanorum primogeniis propter ipsorum nativam perpetuitatem, eo ipso quod quis majoratum constituit, aut constituere proficetur, seu ex conjecturis colligitur, prohibitio alienationis adjecta censetur, domini que translationem impedit, etiamsi nulla alia causa adjiciatur, ut tradit latè Molin. lib. 1. cap. 5. num. 31.

(t) Ut tenet Tell. in leg. 5. Taur. 2. part. num. 10. in princip. Menes. in leg. *Quoties*, num. 10. & 11. Cod. de Fideicommiss. Gutier. in leg. *Nemo potest*, num. 22. Aceved. in leg. 11. tit. 6. lib. 5. Recopilat. numer. 10. qui etiam pro casu sufficienti rem majorum suorum apponi posse asserunt, & Bald. ab omnibus receptus in dict. leg. *Quoties*. Codic. de Fideicommiss. num. 1. Gregor. in leg. 44. & tit. 5. part. 5. Matienz. in leg. 6. tit. 7. l. 5. glossa 1. num. 2.

(u) Idem tenet Tiraquell. plures referens de utroque retractu, in præfation. 39. Peralt. in leg. 3. §. *Qui fideicommissa*. num. 30. ff. de Hæred. instit. Molin. lib. 1. cap. 6. num. 31.

39 Quod notabiliter extendit, etiamsi testator in tali prohibitione apposuit iuramentum; quia prohibitio non valet nec roboratur iuramento, ut tenet Innoc. & DD. in cap. *Dilecto de Præbend.* imò, etiamsi uterque juret, tam testator, quam hæres gravatus, potest fieri alienatio, licet alienans sit perjurus; quia iuramentum non afficit ipsam rem, ut impediatur ejus alienationem: ita singulariter Innoc. in cap. *Dilecto, de Præbend.* & ibi communiter DD. Abbas cap. *Intellecto.* 3. column. numer. 8. de *Jurejur.* & ibi communiter DD. & in specie tenet Ripa, in *dict. leg. Filiusfamilias.* §. *Divi.* 4. column. numer. 21. Contrarium tamen tenet ibi expressè Ferdin. de Loazes 16. column. numer. 21. argumento text. in *leg. Cum quis decedens.* §. *Codicillis, de Legat.* 3. Item etiam ratione, quia ex tali iuramento resultat, testatores voluisse in perpetuum non alienare: textus in *leg. Cum ita legatur.* §. *In fideicommisso.* ff. de *Legat.* 2.

40 Pro cuius perfecta intelligentia & declaratione primò quæro, si testator dixit & prohibuit alienari, ne res vel fundus exiret de familia; an per hoc videatur vocare omnes de familia simul, vel gradatim ordine successivo? Et resolutivè dico, quòd gradatim ordine successivo; ut proximior in gradu semper præferatur: & eadem ratione idem esset quando prohibuit alienari, ne res vel fundus exiret de domo sua, vel de stirpe suo: textus est in *leg. Peto.* §. *Fratre.* ff. de *Legat.* 2. cuius verba sunt: *Fratre hærede instituto, petiit ne domus alienaretur, sed ut in familia relinqueretur: si non paruerit hæres voluntati, sed domum alienaverit, vel, ex tero hærede instituto, decesserit, omnes fideicommissum petent qui in familia fuerint.* (x) Quid ergo si non sint ejusdem gradus? ita res temperari debet, ut proximus quisque primo loco videatur invitatus, & ibi notant Bartol. Albert. Bald. Joan. de Imol. Paul. de Castr. & Raph. Cuman. textus in *leg. Cum*

*ita legatur.* §. *In fideicommisso.* eod. tit. textus in *leg. fin. Codic. de Verbor. signific. text. in leg. 1. Codic. de Secund. nupt. in fin. ibi: Scilicet, gradibus servatis,* & ibi ad hoc notat Bald. 3. column. numer. 7. Philip. Deci. 7. column. numer. 19. Et idem est si legatum vel fideicommissum relictum est cognatis, vel consanguineis, vel quis est gravatus eis restituere, vel extra eos non alienare: quia debet intelligi prædicto modo, ut ordine successivo proximiores censentur vocati: textus est in *leg. Si cognatis.* ff. de *Rebus dubiis,* & ibi Bartol. 2. column. in *fin.* & communiter DD.

41 Unum tamen est, quòd hoc casu non habet locum repræsentatio; itaque proximior in gradu semper debet præferri, licet alter vellet succedere per viam repræsentationis: Unde, si mortuo hærede gravato, concurrat frater ipsius testatoris ex una parte, & filius alterius fratris mortuo ex alia; præferatur pater tanquam proximior; quia jura quæ admittunt repræsentationem, loquuntur & habent locum in successione, quæ provenit ex dispositione legis; non verò in successione, quæ provenit ex dispositione hominis, & sic testatoris, ut in nostro casu; quia illa regulatur ex præsumpta charitate & affectione, unde meritò proximior in gradu præferendus. Ita tenet subtiliter Bald. in *dict. leg. Cum ita legatur.* §. *fin. ff. de Legat. 2. fin. quest.* & ibi Cuman. reputans hoc esse singulare: tenet etiam Philip. Decius in *leg. Cod. de secund. nupt.* 7. column. numer. 19. Angel. de Aretin. in §. *Cum filius, Institut. de hæred. que ab intestat. defer.* 1. column. versic. *Deinde,* Alexand. consil. 204. 2. column. n. 6. 2. vol. & cons. 4. 3. column. 4. vol. & consil. 129. 2. col. 5. vol. Cuman. cons. 106. Philip. Decius melius quam alibi consil. 1. 1. vol. ubi dicit hanc esse magis communem opinionem, & ita fuisse judicatum in Rota; idem Philip. Decius in *leg. 1. Codic. de Success. edil.* (y) & istud videtur verius, & tenendum, li-

(x) Idem tenet Pelaez 2. part. quest. 6. numer. 84. Molin. lib. 1. cap. 5. numer. 23. & 24. Julius Elian. lib. *Sententiarum.* §. *Testamentum.* quest. 76. Velle cons. 100. numer. 8. & hoc casu prohibitionem alienationis ultra quartam generationem non extendi, notat Bartol. & communiter scribentes, per textum in *Authentic. de Restitutione per fideicommissum.* §. *Nos igitur, collation 9.* notat Suarez in *leg. Quoniam.* 2. limit. numer. 18. Alciat. consil. 96. numer. 15. quam etiam opinionem in specie secutus est Palacios Rub. in cap. *Per vestras de Donat. inter virum.* 3. notabil. §. 26. column. numer. 20. quamvis *ibidem* in *finalib. verb.* affirmet, se id non firmare: Contrariam tamen sententiam veriorum esse existimat Molin. lib. 2. cap. 14. numer. 12. plures alios allegans.

(y) Ita etiam tenet Tiraquell. de *Primogenit. quest.* 40. numer. 159. Alvarus Velas. de *Jure emphiteutic. cap.* 50. n. 56. Costa de *Majorat. honorum reg. numer.* 20. Covarrub. cap. 38. pract. numer. 4. Tiberius Decian. cons. 1. numer. 175. lib. 1. Velazq. de *Avend.* alios referens hinc gloss. 20. numer. 16. Matienz. in *leg. 5. titul. 6. lib. 5. numer.* 11. proximitas autem hæc attendenda est respectu ultimi possessoris, & non respectu primi fundatoris: Socin. in *leg. Si cognatis,* numer. 40. ff. de *Rebus dubiis,* & in *leg. Hæredes mei.* §. *Cui ita.* numer. 21. ad Trebell. & consil. 33. numer. 14. lib. 4. & consil.

licet contrarium teneat Glossa ordinaria in *dict. leg. Cum ita legatur;* §. *final. in glossa penultim.* Imò, quòd filius alterius fratris mortui æqualiter admittatur cum fratre vivo per viam repræsentationis, quia videtur proximior vocatus per testatorem secundum legis dispositionem; & ibi Joan. de Imol. in *fin. Socin. in leg. Si cognatis,* penultim. column. de *Rebus dub.* & ibi Alexand. in *addit. ad Bartol.* Ex quibus in questione de facto dixi & consului, quòd si testator dixit & disposuit, quòd in legato vel fideicommisso quis eligat quem velit ex familia testatoris, poterit eligere absolute quem velit in quocumque gradu positum; quia prædicta procedunt, quando testator simpliciter aliquid relinquit generi, vel familiae suæ; quia tunc intelligitur gradatim: secus verò si expressè detur electio, ut commissarius eligat quem velit de familia; quia tunc potest eligere quem velit, etiam remotum.

24 Advertendum tamen est, quòd prædicta debent intelligi, quando testator vocavit propriam familiam suam, & in ea commisit electionem fieri: secus verò si vocavit familiam extraneam; quia tunc omnes de familia pariter & simul debent admitti, non verò proximior tantum; quia cessat ratio conjunctionis, ita singul. Bart. in *leg. Si cognatis,* ff. de *Reb. dub. fin. column. & quest.* quod sequitur & reputat singulare Socin. *ibi,* 15. col. vers. *Circa ista dicta,* Bart. & ibi Cuman. 2. column. & facit bonus textus in *leg. Is qui complures,* ff. de *legat.* 3. & ibi Bart. & communiter DD. & in *leg. Si quis Titio,* §. *final. ff. de Legatis.* Quod intelligerem, quando vocaretur familia alicujus tertii jam defuncti: secus verò si vocaretur familia alicujus viventis; ut si testator instituat hæredem extraneum, vel extraneo aliquid legavit, & post eos vocavit familiam eorum: quia tunc intelliguntur vocati ordine successivo, ut proximior in gradu semper præferatur, quia eadem ratione qua prætulit ipsum hæredem vel legatarium, ita post eos

videtur præferre proximiores.

34 Item adde, quòd si legatum vel fideicommissum relinquitur familiae, ut perpetuò in familia remaneat, censetur relictum ordine successivo, ut proximior in gradu præferatur, & eo excluso, sequens admittatur, ut perpetuò transeat de uno ad alium; secus tamen est, quando legatum vel fideicommissum simpliciter relinquitur familiae; quia tunc non transit perpetuò de uno ad alium, sed tantum primus proximior solus admittatur: ita singulariter determinat Socin. post Cuman. *ib. in dict. leg. Si cognatis,* ff. de *Reb. dub.* 9. column.

44 Adde tamen, quòd licet prohibitio alienationis facta per testatorem favore familiae, vel alterius certæ personæ valeat & teneat, & per hoc videatur sibi relictum fideicommissum, ut in *dict. leg. Filiusfamilias,* §. *Divi,* ff. de *Legat.* & in *leg. Peto,* §. *Fratre,* ff. de *legat.* 2. cum *similib.* tamen hoc debet intelligi, quando expressè dicitur quòd illa bona remaneant apud familiam, vel illam certam personam, cuius favore ponitur gravamen de non alienando: secus verò si simpliciter esset facta prohibitio alienationis, extra familiam, vel illam certam personam; quia ex hoc non inducitur fideicommissum restitutionis; sed solum operabitur, quòd non possit prohibitus alienare in extraneos, nisi prius requisitis illis de familia vel illa certa persona; & illis nolentibus emere possit liberè, vendere vel alienare cui velit, per textum singularem & unicum in *leg. Qui Romæ,* §. *Coheredes,* ff. de *Verbor. obligation.* ubi habetur, quòd ille qui tenetur rem non alienare, nec ulli alii vendere nisi cuidam certæ personæ, ea requisita emere, & existente in mora, potest cuilibet alteri vendere: & ad hoc in sua principali decisione reputat singularem & unicum Dyn. Bartol. & communiter DD. *ibi,* quo in casu, ad hoc ut prohibitus possit vendere, vel alienare, oportet quòd requiratur & interpelletur illam certam personam ut emat, & post re-

consil. 43. lib. 3. & consil. 86. numer. 11. lib. 3. Corneus consil. 22. lib. 2. & 90. lib. 1. Curt. Jun. consil. 125. numer. 4. Rub. consil. 36. cum duobus sequentibus. latè Matienz. Socin. consil. 126. numer. 36. lib. 1. Gozadin. consil. 4. numer. 17. & 31. Tiraquell. de *Retract.* lib. 1. §. 11. gloss. in *fin.* Clarus lib. 3. §. *Testamentum,* quest. 76. numer. 14. ubi hanc appellant communem, & nullo modo ab ea recedendum in iudicando & consulendo: Alciat. consil. 48. numer. 12. & 610. numer. 4. Beroj. in cap. *In presentia,* numer. 417. Menchac. lib. 3. §. 11. 26. numer. 11. Alvarus Velas. de *Jure emphiteutic. quest.* 50. numer. 34. Molin. lib. 3. cap. 9. per totum, numer. 20. & lib. 1. cap. 6. numer. 46. & lib. 3. cap. 4. numer. 14. Gregor. in *leg. 2. tit. 15. part. 2.* in verb. *El mas propinquo pariente ad finem,* in vers. *Nota item.* Valle consil. 100. numer. 10. & 18. Pelaez 4. part. quest. 8. Parisius cons. 2. numer. 47. volumin. 1. Burgos de Paz consil. 29. numer. 8. & 41. & 51. Matienz. in *leg. 7. tit. 11. lib. 5. Collect. gloss.* 2. numer. 1. fol. 354. in verb. *T alguno de aquel abolengo,* & in *leg. 8. tit. 11. lib. 5. gloss.* 3. fol. 373. verb. *Otro pariente propinquo,* lib. 3. §. 27. numer. 4.

requisitionem debet expectare per duos menses, intra quos possit emere; quibus transactis, poterit vendere cui velit; augmento textus in leg. final. Codic. de Jure emphyt. ita tenet & declarat Bartol. & communiter DD. in dict. §. *Hæredes*. Ergo ex illo textu sic inducto bene inferitur in nostra materia & quæstione, quod quando quis prohibetur alienare extra familiam, vel certam personam, non inducitur fideicommissum restitutionis, nisi expressè dicatur per testatorem, quod illa bona remaneant penes familiam, vel illam certam personam. Et in expresso istam sententiam & conclusionem tenet Dyn. in dict. §. *Cohæredes*, & ibi Bartol. 1. column. num. 3. Joan. de Aret. 1. column. Socin. 9. column. versic. *Quinta & ultima conclusio*, Paul. de Castro in leg. *Filiusfamilias*, §. *Divi*, ff. de legat. 1. 3. column. numer. 10.

Secundum his non obstantibus, contrarium est tenendum, imò, quod etiamsi prohibitio simpliciter fiat, ne alienetur extra familiam, vel certam personam, videtur inductum fideicommissum, ut teneatur prohibitus restituere familiæ, vel illi certæ personæ; & per consequens, non poterit etiam alienare, requisita familia vel illa certa persona; quia testator eo ipso quod prohibuit alienare extra familiam, vel certam personam, videtur velle, quod remaneant apud eam, & sic per hoc inducitur fideicommissum. Et in expresso istam sententiam & conclusionem tenet Paul. de Castro in dict. §. *Cohæredes*, 2. col. & ibi Cuman. Alexand. 2. col. 5. Jas. 5. column. Cuman. in leg. *Filiusfamilias*, §. *Divi*, ff. de legat. 1. 2. col. num. 4. & ibi Joan. Crott. 6. col. num. 23. Petr. de Bellaper. in leg. *Quoties*, in 1. Cod. de Fideicommissis. in fin. & ibi Cyn. 2. quæst. Salyc. 1. column. in med. Alber. in leg. *Voluntas*, Codic. eod. tit. 2. column. in med. Cyn. in leg. *Ea lege*, Cod. de Condition. ob causam, 3. column. & ista videtur magis communis opinio: pro qua facit: quia in ultimis voluntatibus tacite inducitur fideicommissum ex tacita & conjecturata mente defuncti, ut in leg. *Fideicommissis*. §. *Hæc verba*, ff. de legat. 3. & in leg. *Paterfilium*, eod. tit. & in leg. *Cum proponebatur*, ff. de legat. 2. cum similib. & ibi communiter DD. Nec obstat textus in dict. leg. *Qui Romæ*, §. *Cohæredes*. Quia loquitur in contractibus, in quibus non ita faciliter, nec tacite inducitur fideicommissum, sicut in ultimis voluntatibus; quia contrahentes sunt in culpa, cum potuerunt apertius legem dicere: argumento textus in leg. *Veteribus*, ff. de Pactis: secundum Alexand. & Jas. in dict. §. *Cohæredes*.

Dubium tamen est, eo casu quo testator gravat hæredem vel legatarium non alienare extra

familiam, vel gravat restituere familiam; de qua familia intelligatur, an testatoris, vel ipsius gravati? In quo articulo resolutivè dico, quod debet intelligi de familia ipsius testatoris, non vero hæredis, vel legatarii gravati: argumento textus in leg. *Cum avus*, ff. de Condition. & demonstration. & in leg. *Cum acutissimi*, Codic. de Fideicommissis. cum similib. Et in terminis ita probat textus in leg. *Unum ex familia*, §. *Si Falcidia*, ff. de legat. 1. ibi: *Itaque, si cum forte tres ex familia essent ejus qui fideicommissum reliquit*, &c. Et in expresso istam sententiam & conclusionem tenet Bart. in leg. *Peto*, §. *Fratre*, 1. quæst. ff. de legat. 2. & ibi Dyn. Petrus, & communiter DD. item Bart. in leg. *Si cognatis*, ff. de Reb. dubiis, 2. column. in fin. num. 2. Petr. Cyn. & communiter DD. in leg. *Quoties*, la 1. Cod. de Fideicommissis. Joan. Crott. ibi dicit hanc esse communem opinionem, in leg. *Filiusfamilias*, §. *Divi*, num. 161. Quod notabiliter intelligo, quando hæres vel legatarius gravatus esset de familia testatoris; secus verò si hæres vel legatarius gravatus sit extraneus; quia tunc videtur intellexisse de familia ipsius gravati; quia eadem ratione qua prætulit in illa re vel bonis ipsum hæredem vel legatarium extraneum, eadem videtur præferre ejus familiam: argumento eorum quæ notatur per Glossam & DD. in dict. leg. *Cum acutissimi*, in glossa 2. in fin. & in expresso istam considerationem ita tenet Salycet in dict. leg. *Quoties*, la 1. 2. num. 3. Cod. de Fideicommissis.

45 Item etiam juxta hoc dubitatur, usque ad quem gradum intelligitur vocata familia in ista materia? Et breviter & resolutivè dico, quod usque ad quartum gradum post ipsum gravatum, vel prohibitum: textus est singularis in jure in Auth. de Restit. Fideicommissis. in Rub. & in §. *Nos igitur*, prope fin. ibi: *Multum nobis visum est plenum esse pietate, quatuor post generationes hujusmodi in medium deduci quæstionem: quem ibi ad hoc notat & commendat Jacob. de Bellovisio*, 1. column. in fin. vers. *Et notab.* Bart. 1. column. 2. notabil. Angel. fin. column. & illum textum ad hoc reputat notabilem Alexand. in leg. *Filiusfamilias*, §. *Dixi*, ff. de legat. 1. 8. col. num. 27. & ibi Joan. Crott. fin. column. n. 174. & illum textum ad hoc reputat notabilem Alexand. in addition. ad Bartol. in leg. *Pronuntiato*, §. *Familie*, in 1. addition. ff. de Verbor. signific. Jas. in leg. *Voluntas*, Cod. de Fideicommissis. 2. column. & Roder. Suar. in repetition. leg. *Quoniam in prioribus*, Cod. de Inoffic. testam. fol. 66. 2. col. versic. *Unum est*. Quod intellige respectu collateralium: secus verò respectu descendentium; quia vocantur in infinitum, argumento text. in leg. *Liberum*, ff. de Verbor. signific. cum similib. Ita

ex-

expressè tenet Jacob. de Bellovisio. in dict. *Authent. de Rest. Fideicom.* 1. col. in fin. & ibi Bart.

Similiter etiam circa hoc dubitatur, an prohibitus alienare extra familiam, vel certas personas, possit extraneum hæredem instituere? Et resolutivè dicendum est quod non; imò sit regula & conclusio generica in materia: quod modò quis sit prohibitus alienare generaliter inter omnes, excepta familia, vel certo genere personarum, modò quis sit prohibitus alienare inter certas & determinatas personas; non potest personam prohibitam hæredem instituere, alias venit contra prohibitionem, & incidit in poenam in ea contentam: text. est capitalis & expressus in l. *Peto*. §. *Frater*. ff. de Legat. 2. cujus verba sunt: *Fratre hærede instituto petiit ne domus alienaretur, sed ut in familia relinqueretur: si non paruerit hæres voluntati, sed domum alienaverit, vel extero hærede instituto decesserit, omnes fideicommissum petent qui in familia fuerint*; & ibi notat & commendat Gloss. ordinaria, Bart. Alber. Bald. Paul. Joan. de Imol. & Raph. Cuman. Text. in l. *Si ita quis*. §. *Ea lege*. ff. de Verbor. obligation. & ibi tenet Bart. 2. col. Imol. 1. & 3. col. Paul. 2. column. Jas. 2. column. num. 8. & meliùs 12. col. Probat etiam textus in leg. *Si quis prioris*. §. *Certum*, Cod. de Secund. nupt. & ibi Glossa, Bald. & communiter DD. text. in leg. *Filium*. §. *Fundum*. ff. de Legat. 3. & ibi Bart. & communiter DD. Facit bonus text. ejus regula in l. 1. vers. *fin. Cod. de Fund. dotal.* text. cum materia in l. *Ea lege*, Cod. de Condit. ob causam, & ibi tenet Bald. 4. column. Angel. 2. column. & latius quàm alibi Salyc. 6. column. 2. quæst. princip.

46 Ex quo notabiliter inferitur, quod si prohibitus alienare inter certas & determinatas personas decedat ab intestato, & aliqua prædictarum succedat ei ab intestato, tenetur bona prohibita restituere ei in cujus favorem facta fuit prohibitio, vel hæredi; textus est singularis in leg. *Codicillis*. §. *Matre*. ff. de Legat. 2. & ibi notant Bart. Alber. Bald. Joan. de Imol. Raph. Cuman. Tenet etiam Glossa singul. & unica in leg. *Si ita quis*. §. *Ea lege de Verbor. oblig.* in verb. *Interest*. in vers. *Unde & si intestatus decedit*, licet non alleget illum textum, quem reputat singularem & unicum Bald. in cap. *Qualiter*, in fin. extra de Pactis. Quod tamen intellige, quando quis sit prohibitus alienare inter certas & determinatas personas, ut dixi: secus tamen est, si quis est prohibitus alienare generaliter, excepta familia testatoris, vel excepto quodam genere personarum; quia tunc prohibitus alienare poterit decedere ab intestato, & liberè succedet sibi legitimus hæres ab intestato, nec tenebitur bona restituere fa-

Anton. Gomez. ad Leg. Tauri,

milie, nec illi certo generi personarum; ita probat textus singularis & unicus in jure in leg. *Cum pater*. §. *Cum inter*. ff. de Legat. 2. & ad hoc notat & commendat ibi Dyn. Rayner. Bartol. Paul. de Castr. & reputat singularem, & unicum Joan. de Imol. ibi. Tenet etiam Glossa ordinaria in leg. *Pater filium*. §. *Julianus Agrippa in gloss. fin.* & ibi DD. Notat etiam & commendat Bart. in l. *Peto*. §. *Fratre*. ff. de Legatis 2. idem Bart. in leg. *Si ita quis*. §. *Ea lege*. ff. de Verbor. obligat. 2. column. & ibi Paul. de Castr. fin. column. Imol. 1. col. Jas. 3. col. num. 9. & 12. col. num. 46. Idem Jas. ubi dicit hanc esse communem opinionem, in leg. *Filiusfamilias*. §. *Divi*. ff. de Legat. 1. 15. col. numer. 67. Imò etiam hoc casu poterit prohibitus in illis bonis instituere illum legitimum, quia alias esset successurus ab intestato: quia cum tacite potuit sibi relinquere moriendo ab intestato, à fortiori potuit sibi relinquere expressè, argumento text. in leg. *Conficiuntur*. ff. de Jure Codicill. Et in terminis ita tenet Paul. de Castr. in dict. §. *Cum inter*, & Joan. de Imol. in dict. l. *Si ita quis*. §. *Ea lege*. ff. de Verbor. obligation. 3. column. in medio, & ibi Jas. 22. col. num. 46. Idem Jas. in l. *Voluntas*, Cod. de Fideicommissis. & ante eos hoc voluit Bart. in dict. leg. *Peto*. §. *Fratre*, 2. col. distinct. sua.

47 Ego tamen, salva pace tantorum Virorum, teneo contrarium, imò quod modò sit prohibitus alienare inter certas personas, modò generaliter, excepta familia, vel excepto quodam genere personarum, non potest ex testamento, nec ab intestato illa bona extra illas personas relinquere; quia eadem est ratio manifesta in utroque casu: Item etiam, quia militat & habet locum dispositio text. in dict. leg. *Codicillis*. §. *Matre*. ff. de Legat. 2. Confirmatur etiam: quia prohibitus alienare extra familiam, vel extra certum genus personarum, videtur tacite gravatus restituere proximiori, & successivè in perpetuum de uno in alium, ut suprà conclusi & probavi: Ergo in nostro casu non poterit illa bona relinquere successoribus ab intestato; quia secundum hoc deciperet voluntatem testatoris. Et in expresso ita tenet Cuman. in dict. §. *Cum inter*, licet dicat esse difficile recedere à communi sententia: idem Cuman. in dict. §. *Mater*. Salyc. in dict. leg. *Ea lege*. Cod. de Condition. ob causam, 8. column. in sua distinct. Prædicta tamen intellige & declarata, quando prohibitio erat personalis & limitata respectu solius personæ alienantis & limitata respectu solius personæ alienantis: secus verò si prohibitio esset realis & perpetua, ut quia quis prohibuit rem alienari, & disposuit ut perpetuò perveniat de uno in alium successivè, ut semper remaneat in familia; quia

Bb2

tunc